

Sectio Prior.

by Murray, Johan Anders

in: Vindiciae Nominum Trivialium Stirpibus A

Linneo Equ. Impertitorum, (page(s) [3] - 18)

Gottingae, Göttingen

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright.

Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact:

Niedersaechsische Staats- und Universitaetsbibliothek

Digitalisierungszentrum

37070 Goettingen

Germany

Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

Vindiciae Nominum Trivialium Stirpibus A Linneo

Equ. Impertitorum

volume: 2

by: Murray, Johann Andreas

Gottingae; 1782

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright.

Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact:

Niedersaechsische Staats- und Universitaetsbibliothek

Digitalisierungszentrum

37070 Goettingen

Germany

Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



VINDICIAE
NOMINVM TRIVIALIVM STIRPIBVS
A LINNEO EQV. IMPERTITORVM.

SECTIO PRIOR.

§ 1. **S**tupet vulgus, stupent multi ex docto coetu cum eo, copia nominum in re herbaria obuiorum, hisque memoriae firmiter infixis totam scientiam contineri arbitantes botanicum saepe eum salutant, qui vix siccandis herbis et dextre agglutinandis aptus est, aliumque, cui inter strepentes iocos nomen plantae non illico in mentem recurrit, ad tyronum subsellia relegant. Hi igitur ei praecise rei in botanice plurimum meriti tribuunt, cui inest minimum, quum e contrario stirpes, post acquisitam terminorum partium notitiam, (ad quam, nisi ludere velimus, breui perueniri potest) per singulas partes scrutari et ex systemate commodo plantam ignotam eruere primum in re herbaria sit. Inuentor vero et veteranus in terminis commodis partium plantarum cudendis, nouo systemate condendo vel iam praeslito expoliendo, stirpibus ex systematis fundamento rite

nuncupandis, regulis bonae methodi et denominationis stirpium stabilien-
dis, nouis apte describendis, depingendis et collocandis, synonymis et
iconibus diiudicandis, cognationibus stirpium inuestigandis, abditis vege-
tationis et propagationis legibus eruendis et phaenomenis singularibus in-
dagandis, item hortis botanicis colendis, studiose occupatur. Carere prae-
terea exacta cognitione eorum non potest, quae ab antecessoribus et
coaeuis in sua scientia praesita fuerunt. Quantum ingenii, iudicii,
laboris, industriae, patientiae, ad haecce omnia pernoscenda et pro-
curanda requiratur, et quam perperam sibi multi, Florae sacrario ap-
propinquantes, metuunt, ne ob memoriae imbecillitatem in limine
excludantur, ex dictis facile intelligitur. Non ideo sperno memoriae
alacritatem, sed ut quamlibet aliam diuinitus menti humanae tributam
vim magni facio, et in retinendis iis faciliori opera, quae ingenium
botanici excogitauit, insigne adiumentum praebere, lubens agnosco.
Id modo volo, scientissimum aliquem esse posse botanicum, mediocri
tamen memoria (qualem e. c. LINNEVM etiam si flore aetatis consti-
tutum in vulgaribus subinde stirpibus cognoui) instructum, nec suffi-
cere vel felicissimam non numerosis terminis modo technicis, quae
partes plantarum et distributionem systematicam spectant, sed tot stir-
pium nominibus, secundum systematum multiplicem varietatem excog-
gitatis, seruandis. Systematum igitur adminiculo, quae nomina contra-
hant, carere nos nullo modo posse, in patulo est.

§. 2. Abbreuiavit b. a LINNE' mira sagacitate stirpium nomina,
non solum eo, quod varietates ad suas species reduxit, sed et eo, quod
loco definitionis stirpium, saepe sesquipedalis, quam antecessores vbiuis
fere nomini generico attexerant, nomen specificum perperam illam
appellantes, duobus modo vocabulis, generico et triuiali, singulam
speciem insigniuit. Triuiali nomine vero ille primus ea significatione
usus est, ut eodem breue epitheton generis intelligeret. Quod ad re-
ductionem istam varietatum ad species attinet, negari nequit, illustrem
virum aliquando iusto rigosorem fuisse, et varietates idem ius ha-
bere nomina peculiaria sibi vindicandi, ac verae species, quod multis
qui-

quidem exemplis ipse agnuit. Tanto maiorem assensum plausumque videbatur expectare posse nominibus trivialibus inuentis, quum iis tam memoriae mirifice subuenerit, quam compendium descriptionis et enunciationis nominum stirpium suppeditauerit maxime egregium. Quis non horreat, ut mox in limine rem exemplis declarem, eiusmodi MICHELI nomen, quale: TRIFOLIASTRUM pratense, corymbiferum, non repens, humi stratum, alte radicatam foliis subrotundis, alba, falcata macula, vix notatis, floribus minoribus, suauerubentibus, siliquis tetraspermis, superna parte tantum marginatis, semine subobscuro, maculato. Gener. p. 27; — vel sequens PLUKENETII: ACROCHORDODENDROS siue arbor indica praegrans foliis integris, platani fructu verrucoso minore siue fragiformi duro, cuius singuli bati siue tubercula sunt capsulae seminales; (melius forsan) Arbor indica praegrans foliis integris fructu rotundo paruo fragiformi e tuberculis capsularibus composito. Mant. p. 4.; — vel illud BREYNI: ACACIAE quodammodo accedens, Myrobalano chebulo Veslingii similis arbor Americana spinosa foliis Ceratoniae in pediculo geminatis, siliqua bivalui, compressa, corniculata, seu cochlearum, vel arietinorum cornuum in modum incuruata; siue Unguis cati. Prodr. fasc. rar. plant. p. 38? et quis non aequae patienter ad triemes damnari se pateretur, quam ad aliquot millena tantae longitudinis nomina memoriter pro lubitu interrogantis recitanda? Verum quidem est, paucorum botanicorum nomina sic dicta specifica ad giganteam istam magnitudinem succreuisse. Fac vero ea restringi ad sex, imo duas voces: quanto volubilius est lingua in enunciandis nominibus Linneanis: Munchhausia speciosa, Halleria lucida, Zinnia pauciflora, Büttneria scabra, Murraya exotica!

§. 3. Laudis vero loco, quam historiae naturalis restaurator coarctatione nominum promereri videbatur, eadem opprobria tulit, quibus ab HEISTERIS et SIEGESBECKIIS cumulabatur, dum systema nouum botanicum condendo a nominibus antecessorum desisteret, non vago quidem et versatili arbitrio ductus, sed ipsis legibus, quas distributio noua vegetabilium illi imposuerat, et quarum rationem in

Critica botanica dederat. Repudiare se vero nomina triuialia tam in vniuersum, quam ista a LINNEO inuenta, declararunt auctores vel apertis verbis, in conuicia et cauillationes humiles subinde degenerantibus, vel obstinato eorum in scriptis neglectu, eo tempore, quo ab aliis iam vndique in vsum vertebantur, nec LINNEI definitiones specificae, auctoritatis et intelligentiae causa, omitti poterant. Vtraque ratione aemulus Linneanae laudis, ill. HALLERVS, aduersarium eius se declarauit, qui quavis occasione, nominatim in recensu Gottingensi librorum nouorum (*Gött. gel. Anzeigen*), hocce inuentum vituperauit, et in *Historia stirpium indigenarum Heluetiae* fere vbiuis nomina triuialia omisit, quod studio deditaque opera esse factum nec sine omni probabili ratione, ex sequentibus Praefationis a) verbis cognoscitur: *Triuialia*, inquit, quae olim vir clar. (LINNEVS) proseripserat et RIVINVS satis bona dederat, noua creare nolui, quum nescio quid leuiusculi in plurimis mihi videatur, et difficillimum sit, caracteristicum aliquid in vnam vocem stipare. Quod ADANSONIVS, qui pauca in LINNEO aliisque praeter suum TOVRNEFORTIVM laudanda inuenit, improbauerit haecce voculas, non mirum, qui quidem redarguens in iis, quod definitionem specierum non inuoluant, tandem erumpit, haecce neque nouum inuentum, nec rem Botanicae proficuum constituere. b) Adiutor mihi ignotus in edenda *Flora Aegyptiaco arabica* b. FORSKÄLII c) fluxa appellat haecce nomina et, dum characterem plantae designarint, saepe animum denominatoris et satyram expressisse putat, hinc praetulisse se innuit arabicum nomen, dum planta non obtulerit signa satis manifesta. Cel. olim Helmstädiensium Professor FABRICIVS, qui, HEISTERI etsi successor, LINNEO alias tamen plurimum tribuit, eiusque *Species* vbiuis allegauit, omisit haecce nomina in *Enumerationem plantarum Horti Helmstädiensis*. Potiorem locum definitionibus specificis adscribens cl. GERARDVS d) exclusit nomina ista, in *Flora* sua, licet vsum eorum eximium non disiteatur. Omisit quoque ea cl. SAM. GOTTL.

GME

a) p. 23.

b) *Families des plantes* Vol. I. Praef. 129.

c) Praef. p. 19.

d) *Flora Gallo-provinc.* Praef. p. 17.

GMELIN in continuatione *Florae Sibiricae* patris sui, sine dubio prae contentu, quum ipsas adeo definitiones curtas specificas se non amare significet. ^{e)} Mutasse iudicium suum de horum nominum pretio videtur intra biennium cl. REYGER, quippe qui in *Florae Gedanensis Tomo primo* ea expunxit, in *secundo* autem eadem adposuit. Nulla pariter ratione adiecta reticuit ista cl. WULFF in *Flora Borussiae*, LINNEI ceteroquin in genericis nominibus et definitionibus specierum affecta.

§. 4. Sed non opus est ampliori recensu eorum, quibus hocce LINNEI ausum displicuit. Agendum potius de aetate huius denominandi stirpes artis, discutienda argumenta, quae eius dignitatem stabiliunt, et inquirendum, quibus contra rationibus ducti alii eandem reprobauerint, tum et tentandum, an regulae quaedam statui possint, quae ad nomina triuialia expolienda eaque vsui aptiora reddenda faciunt.

§. 5. Mirari subit, quod, qui deprimere pretium horum vocabulorum anni sunt, eadem tamen, antecessorum quorundam LINNEI ore enunciat, non mala inuenerint. Lubens dabo, eum non primum hocce denominationis genere usum fuisse, quin ipse confitetur. ^{f)} DIOSCORIDEM peruoluens plura documenta duorum modo vocabulorum pro designanda stirpe inueniet. Exempla sunt: Aristolochia rotunda, longa, Satyrium erythronium, Strychnon (Solanum) Halicacabum, Ampelos (Vitis) alba, Lychnis syluestris, Hieracium magnum, Chamaeleon album. Post eum, plures ante LINNEVM auctores idem consilium sequuti, exemplis stirpium haud raris, quorum quaedam heic designare, vt ex corollariis postea subiiciendis patecet, suo vsu non carebit. Litteram L. adiungam, si iisdem praecise nominibus Praeceptor subscripserit. Huc itaque pertinent:

LOBELII Cotyledon aquatica, Petroselinum (Bubon L.) macedonicum, Crocus satiuus L. Phalangium Matthioli, Thlaspi syriacum;
Vitis

^{e)} loc. cit. Praef. T. 3. P. 6.
^{f)} Phil. bot. §. 258.

Vitis vinifera L. Coris monspeliaca L. Gnaphalium montanum, Nymphaea alba L. lutea L. Cicutaria fatua, Nasturtium indicum, Tribulus terrestris L. Phaseolus vulgaris L. Urtica romana, Circaea lutetiana L. multaque alia similia huius botanici nomina.

RAVWOLFFII Plantago Catananche, Ribes Arabum.

CAMERARIi Scabiosa minor, Plantago maior L. Symphytum petraeum, Amaranthus cristatus, Perfoliata montana, Althaea thuringiaca (Lavat. thur. L.), Polygonum maritimum L. Saponaria vulgaris, Scrophularia peregrina L. Hesperis pannonica.

CLVSII Verbena supina L. Leontopodium creticum, Spartium austriacum, Cynoglossum creticum, Solanum lethale (Atropa Belladonna L.), Apocynum syriacum (Asclepias syriaca L.), Narcissus ferotinus L. Fritillaria pyrenaica L. Colchicum montanum L. Ornithogalum neapolitanum, Anisum vulgare, Caucalis maior, Thymbra legitima, Polygala valentina (Coronilla valentina L.), Tripolium Dioscoridis, Chrysanthemum valentinum (Anacyclus valentinus L.), Tanacetum inodorum, Carduus eriocephalus.

DODONAEI Diplacus sylvestris, Asperula coerulea, Clematis daphnoides, Angelica sylvestris L. Sefeli creticum, Bupthalmum angustifolium, Rhus coriaria L. Liliium candidum L. Capparis Fabago (Zygophyllum Fabago L.), Ranunculus aquatilis L. Moluccella laevis L. spinosa L. Trifolium bituminosum (Pforalaea bituminosa L.) Lappathum rubens, Genista spinosa, Chamaemelum odoratum.

IO. BAVHINI Nardus celtica, Rapunculus montanus, Foeniculum tortuosum, Alsine tenuifolia (Arenaria tenuifolia L.), Reseda lutea L. Millefolium creticum (Achillea cretica L.), Gnaphalium germanicum (Filago germanica L.)

CASP. BAVHINI numerosissima, e. c. Verbena nodiflora L. Valeriana rubra L. Valerianella echinata, Chamaelea tricoccus (Cneorum tri-

tricoecum L.), Gladiolus foetidus, Triticum aestivum L. Rubia cyanthica, Galium rubrum L. Valeriana coerulea (Polemonium coeruleum L.), Alchemilla vulgaris L. Cuscuta maior, Cerinthe minor L. Rhamnus catharticus L. Glaux maritima L. Linaria scoparia (Chenopodium scoparium L.), Ammi maius L. Sium latifolium L. Alfine media L. Allium sativum L. Dictamnus albus L. Satureia hortensis L. Origanum creticum L. Orobanche ramosa L. Alcea cannabina (Althaea cannabina L.) Coris lutea (Hypericum Coris L.), Aristolochia maurorum L. Populus nigra L. tremula L. Eupatorium cannabinum L.

RIVINI Periclymenum virginianum, Angelica tenuifolia, Laserpitium minus, Myrrhis canadensis, Pyrola minor L. Spartium africanum, Horminum pratense, Stachys sylvatica L. Satureia perennis, Stoechas ferratifolia, Lathyrus pratensis L. Vicia sepium L. Hedyfarum trifoliatum (canadense L.).

TOURNEFORTII Globularia vulgaris L. spinosa L. Xylosteum pyrenaicum, Pseudoacacia vulgaris, Coronilla minima, Marrubiastrum vulgare.

RUMPHII Piper longum, Sirum decumanum, Manga domestica, Gallinaria acutifolia, Blinbingum teres, Sesamum indicum L. Arisarum amboinum, Clypearia alba.

Omitto similis tenoris nomina in COLUMNAE, TRAGI, FLUCKENETI, RAII, MORISONI, CORDI, ALPINI, BOCCONIS, BONTII, CORNUTI, PISONIS, DILLENII aliorumque operibus, quae ante hanc LINNEI reformationem prodierant, passim obuia. Prae ceteris magnae auctoritatis botanicis CLVSIVS, DODONAEVS, CAMERARIVS, BAVHINI, RIVINVS, RUMPHIVS huic compendiariae stirpium denominationi indulserunt; nec plus facitatis in Rivinianis huius generis nominibus reperio, quam in aliis. Rarissime vero eadem adhibuit TOURNEFORTIVS. Alio subinde artificio ad distinguendas species vsus fuit CLVSIVS, g) longe minus

g) Rarior. plant. Hist.

concinno, scilicet per solos numeros generico nomini adnexos, e. c. Cytifus prima, 2 - 7. Conferantur et eius genera Ledon, Allium, Gentiana, Sedum, Sideritis, alia.

§. 6. Vtut vero auctores hi de vtilitate breuioris nomenclaturae plantarum persuasi fuerint, vt exemplis numerosis istis constat, nemo tamen ante LINNEVM hocce compendium ad omnes et singulas plantas applicauit. Ast serius ad hanc rem accessit ill. vir, siue aliorum obtreccationes metueret, siue difficultatem in auso perficiendo perspiceret. Nec ante annum 1749, quo Dissertatio, *Pan Suecus* inscripta et ad stirpes vnice Suecicas pecori placentes respiciens, comparuit, haecce nomina adhibuit, quae quidem nec in *Materia medica regni vegetabilis*, quae eodem anno prodit, occurrunt.

Non tamen ipse satis de eorum dignitate ne anno quidem 1751. h) conuictus fuisse videtur, quum forte admitti posse haecce declararet, nec illa iisdem legibus, ac reliqua nomina, de quibus in *Philosophia botanica* agit, submitteret; donec in *Specierum plantarum Editione prima*, quae prelo exiit a. 1753. omnes species, praeter definitiones, quae characteres summos continent, eiusmodi nominibus instrueret. Dein et animalia, quin a. 1768. ipsa mineralia, eadem compendiarie ratione designauit. Nemo autem illo maiorem modestiam in re tanti laboris et tantae vtilitatis testari potuit. Quum enim hisce nominibus in *Pane Sueco* i) vteretur, praemittit, vt breuitati studeret, necessum fuisse, adhibere nomen genericum et breue atque minus sufficiens epitheton, quod tamen ex ipsa *Flora* (Suecica) illustraretur. Et in *Specierum plantarum editione prima* k) subiungit verba: *Caueant autem quam sanctissime omnes sani botanici vnquam proponere nomen triviale sine sufficiente differentia specifica, ne ruat in pristinam barbariem scientia.* In altera eiusdem libri editione a. 1762. addit, *mutationem horum licet in melius magis nocere quam prodesse.* Itaque ipse mox initio abusui huius

h) *V. Phil. bot. §. 257.* qui liber anno di. 30. euulgsatur.

i) *Amoen. acad. Vol. 2. p. 43.*

k) *Praef. p. 4.*

huius nomenclaturae apud hosce praevertit, qui eadem acquiescendum in determinandis plantis putarent. Et ipse non negavit, posse eorum quaedam reddi magis nitida et exquisita, quae tamen scopo, cur prolata in medium essent, sufficerent. Quis ideo fuit scopus, quem LINNEVS iisdem praefixerat? Is si recte perpenditur, plurimum controuersiae sopitur, quam iisdem enatam vidimus; nam alium finem LINNEVS sibi hisce proposuerat, alium alii. Voluit iste constare illa ex vnico vocabulo, et hoc quidem vndequaue desumpto^{l)}. Nomina igitur praestare vnice voluit, similia quoad scopum istis, quibus ad designandas res in vita communi obuias vtitur, vel si inuis, titulos differentiae specificae, non vt multi alii voluerunt, differentiam praecise ipsam. Nullum aptius vnquam potuit excogitari compendium in designandis stirpium speciebus, quam hoc, vt, prout nomen generis vnico vocabulo consisteret, eadem breuitate et species designaretur.

§. 7. Desiderat hanc nominum breuitatem insignis stirpium copia, quam per tot secula humana sagacitas detexit. COMMERSONIVS^{m)} asseuerabat, se in collectione sua herbaria 25000 species diuersas plantarum seruasse, et spem fouebat, fore, vt ad minimum quadruplum vel quintuplum huius numeri insuper in telluris superficie detegatur. Superat haecce computatio adeo istam ADANSONIIⁿ⁾, in calculis suis alias non parum prodigi, qui 18000 stirpibus iam detectis addi posse 25000 nouas olim inuestigandas sibi persuaserat. Pone vero certiorein calculum LINNEI esse, qui omnes plantas vix numerum 10000 attingere innuit, vel OEDERI, harum 3000 esse Europaeas: quilibet fatebitur, vel hasce non posse sine dispendio magno temporis significari, siue viua voce siue litteris scriptis id fiat, et memoriam haud parum grauari, si nominibus definitiones vtut breues, vel, vt alii easdem vocant, differentias specificas substituas. Vetuit quidem LINNEVS hasce ipsas vltra duodecim verba extendere, o) nec ille ne tot quidem

B 2

nisi

l) *Phil. bot.* §. 257.m) *Observations physiques*, par ROZIER Vol. 5. p. 107.n) *Familles des plantes*, Preface p. 322.o) *Critica bot.* p. 212.

nisi rarius opus habuit. In breuioribus subinde adeo binis rem expediuit, exemplo Tamaricis (Gallicae) floribus pentandris, Tam. (Germanicae) floribus decandris; Tetragoniae (fruticosae) foliis linearibus, Tetr. (herbaceae) foliis ouatis; Moraeae, Exaci, Alstroemeriae, Fuchsiae, Chrysofplenii, Geropogi rel. Merito quoque laudandae definitiones TOVRNEFORTII, HALLERI aliorumque nonnullorum, qui characteres enumerando commodos breuitati tamen litarunt. Sed reuiuiscunt nostro tempore hinc inde largiores istae specierum definitiones, quales istae, quas cel. DV ROY Rosis *p*) tribuit, e. g. Rosae (eglanteriae) calycibus semipinnatis, germinibus globosis glabris, pedunculis petiolisque hispidis glandulosis, caule aculeis sparsis curuis, foliolis subrotundis ferraturis glandulosis, vel quales adiutor in edendo *Supplemento Linneani Systematis q*) *vegetabilium* Mespilo suo Xanthocarpo, Mespilo Phaenopyro, Pyro Amelanchier, impertit, quas, utpote a. b. Praeceptoris tenore alienissimas, repetere piget. Ast etiamsi hae definitiones specierum ad bina vocabula ubiuis restringi possent, quod in vniuersum quidem fieri nequit: per plura millia exempla vni voci parcere posse, non parum lucri est. Quanto facilius est in praelectionibus academicis et inter familiares sermones indicare, quas intelligimus stirpes, hisce vocabulis; quanto commodius est, hacce arte stirpes citare, dum eorum in libris mentio facienda breuibus; quantum inde redundat leuamen in commercio litterarum botanico, dum catalogis centenae aliquot plantae a nobis vel quaerendae vel offerendae sunt! Et licet in tanto plantarum numero vix vnquam sperari possit, vt quilibet oblatam quamuis stirpem mox in qualibet aetatis linea et quouis animi siue corporis habitu vel breuibus hisce nominibus nuncupare possit: extra dubium tamen est subsidium vere magnum ex hisce memoriae in plantis familiaribus sibi que magis obuiis suppeditari.

§. 8. Verum obiicis, spernenda esse nomina haecce ideo, quod characterem stirpis rarius exprimant, vel exprimere possint. Nonne vero

p) *Harbkessche wilde Baumzucht* Vol. 2. p. 336. 33.

q) p. 254. 256.

vero tempore, quo lingua quaecumque excogitaretur, perinde fuit, an nomen e. c. capitis cordi, ensis baculo, mensae scamno, tribueretur; et sic de adiectiuis et vocibus plerisque reliquis sentiendum, vsu et consuetudine modo valorem obtinuisse ad id significandum, quod iam significant. Idem obtinet in nominibus propriis, quae vtrum expriment notas aliquas in viro, cui eiusmodi competit, singulares, nec ne, parum curamus: ita Fortis nomine subinde insignitur pusillanimis, Magni, qui statura paruus est, Sancti vel Probi, qui latro vel parricida potius esset dicendus, Nigri, xylinis capillis et pallida facie instructus. Si nomen speciei semper characterem plantae prae se ferat, cur non idem desideras semper et vbiuis a genere. Sed quidnam characteristici latet e. g. in nomine Veronicæ, Verbenæ, Alchemillæ, Lini, Allii, Fumariæ, Violæ? Quid characteristici in Vnifolio DODONÆI, quod nomen et assumpsit HALLERVS, licet stirps haec semper duobus foliis instruat? Vt taceam tot alia genera, quorum formas tamen quilibet exercitator nomine pronunciatum vel scripto sibi repraesentat. Cur igitur in nomine speciei characterem seu definitionem vel notas discriminis a speciebus congeneribus, absolute desideras, quum nomen et definitio speciei duo sint maxime inter se diuersa. Adsentientem habeo inter alios GERARDVM, r) qui peccant, inquit, qui nomina eo usque producunt, vt confundatur cum definitione nomen et huic tribuatur, quod sui iuris non est. Neutrum suo pretio destituitur, sed alterum absque altero subsistere sine defectu potest. Non negandum tamen, et multos prioris aetatis botanicos, et LINNEVM praecipue, vtrumque saepenumero pereximie copulasse, eodem successu, quo in plerisque classibus vel ordinibus systematis vegetabilium, quasi se infcio, naturales cognationes assequutus est.

§. 9. Praerogatiua praeterea nomini cuius vulgo competit haec, quod promptius longe ideam rei iam perceptae resuscitet, quam optima definitio vel descriptio, figuram, proportionem, magnitudinem, vsu rel. spectans. Facilius longe hominis etiamsi centies visi imaginem in

B 3

men-

r) Flora Gallo-Prov. Praef. p. 16. Conf. simile effatum ORBANI in Element. botan. P. I. §. 144.

mentem reuocabis solo eius audito nomine, quam si tibi per nasum suum aduncum, supercilia lata, labia tumida, protuberans mentum, capillos nigros, vocem, gressum, gestus rel. describeretur. Ita sine cunctatione me intelliges, si Vaccinii Myrtilli nomine vtor, quum e contrario rei herbariae etiamsi gnarus haesitaturus paulisper sis, si eandem vulgatissimam plantam per Vaccinium pedunculis vnifloris, foliis ferratis ouatis deciduis, caule angulato, designem, vel, loco Phaseoli vulgaris nominis, eandem stirpem hortensem per Phaseolum caule volubili floribus racemosis geminis bracteis calyce minoribus, leguminibus pendulis, tibi significem.

§. 10. Aliud insuper momentum commendationis nominum triuialium protulit ill. LINNEVS, s) quod nimirum differentia specifica, quae olim vicarium vsum tulit nominis triuialis nouis detectis speciebus, addo, vel acriori indagine succedente, mutationi obnoxia sit. — Nonne vero, si characteristica euadant haec nomina, eidem inconstantiae submituntur, nec fini saepe nisi per tempus satisfacient? Comparentur tantum diuersae editiones vnus eiusdemque enumerationis stirpium, si modo ab auctoribus laboriosis et veri cupidis proficiscantur: quantum discriminis apparet in definitionibus istis specierum, etiamsi nouae species non accesserint! Quia optimus HALLERVS *Nomenclatorem ex Historia plantarum indigenarum Heluetiae etc. excerptum* etsi eodem anno edens, quo opus primarium, non potuit a variis mutationibus characterum sibi temperare. Nec eiusmodi mutationes vituperandae, quum in scientia tanti ambitus et tantae difficultatis vulgatissimum istud, "dies diem docet", verissimum sit, et humana mens nonnisi post varios errores verum attingat. Sed, praeter hancce nostram imbecillitatem, aliam saepe necessitatem mutandi definitiones istas imponit nouarum stirpium eiusdem generis detectio saltim ad LINNEI mentem, qui quidem ita: t) *Qui nouam detegit speciem, addat et non modo eiusdem differentiam, sed et in congeneri vel congeneribus*

s) *Phil. bot. p. 202.*

t) *loc. cit. §. 294.*

bus differentias augeat (adiicio ex alio fonte), u) et corrigat, ut distinguantur in posterum species sufficienti differentia." Fateor postulari hanc rem grauissimam, taedii plenissimam, quam praestare saepe ultra vires vel exercitatissimi botanici est. Eiusmodi enim emendatio characterum non collatis vnice descriptionibus sed ipsis plantis saepe vix sedulo inter sese comparatis superstrui debet, quas quidem conquirendi copia saepe nos deficit. Verendum quoque valde est, ne erabrones tentatis hisce emendationibus iritemus. Nec vnquam spes est fore, ut, qui definitionibus quibusdam annorum longa serie receptis assueuerint, hasce dimittant nostrasque emaculatiores praeferant. Hae rationes sine dubio in causa sunt, cur recentiores quidam botanici scientia et felici occasione in detegendis nouis stirpibus inclyti, ut IACQVINVS in *Horto Vindobonensi. Flora austriaca et Iconibus plantarum rariorum*, item PALLASIVS in *Itinerario*, praeter nomina trivialia, non nisi descriptiones ampliores suae, ut cum LINNEO loquar, characteres naturales specierum admittant, omittis definitionibus istis breuibus alias consuetis. Non caret sua molestia haecce omittio, dum ab istis recens obseruatas plantas catalogis inferere volupe est; cogimur enim ipsi ex ampla descriptione characteres primarios eruere, eosque adicere triviali nomini, quippe quo solo acquiescere non possumus, id quod vero longe accuratius et faciliore opera ab inuentore plantae praestari potest.

§. II. Varii quidem alii modi excogitari possunt significandi stirpium species, praeterquam trivialibus nominibus. Huc pertinet ille per numeros descriptionibus vel tabulis, quibus depingantur, inscriptos, qua arte nihil noui magis exsuccum, nihil sterilius. Nec sane CLVSIVS, botanicorum sui temporis princeps, ea multis exemplis adhibita reliquum botanicum suum meritum exaequauit. Ductus vel figurae ex chemia vel aliunde petitae aequae parum intelliguntur, nisi praesente libro, qui instar clavis est. Sic et de plantarum per litteras designatione sentiendum, quam quidem se ipsum in codicibus suis manuscriptis in usum traxisse refert ADANSONIVS x) hicque ita, ut in

am-

x) *Critica bot.* p. 217.

x) *l. c. Preface* p. 176.

ampliori genere praefixo nomine generico quinque priores species per quinque vocales distinguat, et reliquas consonante cum vocali copulata denotet. Secundum hanc normam quinque priores species Linneanae generis Sidae nominandae Sida *a*, Sida *e*, Sida *i*, Sida *o*, Sida *u*, loco nominum Sida spinosa, alba, rhombifolia, alnifolia, retusa; sexta Sidae species (S. ciliaris L.) dicenda Sida *ba*, septima (cordifolia) Sida *be*, undecima (paniculata) Sida *ca*, decima sexta (Abutilon.) Sida *da*, et sequentes S. *de*, *di*, *do*, et sic porro. Huic patellae ut dignum operculum imponatur, age cum auctore *Vocabulorum generum characteristicorum* Sidae genus *Iâ Wîwîpi y*) nominemus: quis crederet, nisi admonitus, per plantam *îâ wîwîpi ce* Sidam asiaticam L. intelligi. Quis delectabitur nominibus *Wâfîpi* loco Nicotianae, *Ahê Ebharfvi* loco Teucrîi, *Sâcnâsqk* loco Scorzoneræ, *Sacîfâzk* loco Stachelinae, quibus idem auctor utitur, licet quaelibet littera notam peculiarem characteristicam stupendo labore respiciat. Saepe dolui ingenium quorundam et ferream patientiam in minutiis et rebus usu omni cassis collocatam, quae si modo ad res generi humano proficuas fuisset directa, hi ipsi utilitate et merito plerosque longo intervallo post se relicturi fuissent. Loquimur et scribimus, ut intelligamur, et cuiuslibet, qui methodum tradit, est, eam quantum fieri possit et facilem et gratam reddere, allicere cultores non repellere, studium eorum inflammare non extinguere, quod certe in re herbaria fiet, si loco vocis articulatae, qua brutis antistamus, raucos istos et hiulcos sonos excutiamus, vel signa tantum, qualiscunque generis sint, adhibeamus, quae ipsa nec imaginationem suscitare nec alere memoriam queunt, sed sine libri, quo comparent, perpetua praesentia nullius omnino usus sunt.

§. 12. Si LINNEI nomina triuialia multos obtrectatores habuerint: non defuerunt e contrario summi viri, qui non solum suis libris eadem receperunt, sed et filum ab eo incoeptum in nouissimas usque plantas protraxerunt. Nec hoc modo de viris valet, qui ex LINNEI schola propullarunt, sed et de aliis, quos nunquam neque patriae amor, nec sen-

y) *Genera plantarum vocabulis characteristicis definita p. 108.*

sensus grati animi erga ill. virum, capere potuit. Et ita quidem botanici seriori temporis tantum non omnes, tam in libris quam in commutatione plantarum per commercia facta, absque vlllo nationum discrimine. Quin ipsi Francogalli, quibus facilius condonari posset tepor in LINNEI conatibus approbandis, quod iisdem immortalis TOVRNEFORTII merita nonnihil obfucari viderent, haud inuiti haec nomina arripuerunt. Inter hos b. BERNARDVS IVSSIEV potissimum nominandus est, vtpote qui, in contemplatione naturae enutritus, nihil probare potuit, quod contra naturam esset, qui verò numerosis istis plantis nouis, quas, regia munificentia conquistas, inter alios liberaliter dispersit, nomen triuiale concinnum suo ingenio enatum adscripserat. Nec dubitandum ab eodem cel. viro, qui Auletianum opus ^{z)} pereximium, plantis recens detectis valde diues, expoliuit, multa huius generis nomina fuisse profecta. Imo adhuc nouissime Elogii in b. LINNEVM mascula eloquentia concinnati Gallus auctor, ^{a)} qui quidem varia paullo seuerius perstrinxit in b. viro, quae alius laudaturus fuisset, de hocce tamen eius aucto blandissime ita iudicat: „On avoit été jusqu'alors obligé pour designer une espèce quelconque, d'employer une phrase entiere: M. LINNEVS y a substitué un adjectif, qui, joint au mot generique, indique le caractère propre et distinctif de la plante; c'est ce qu'il a appelé le nom trinial. Cette idée l'a conduit à une reforme vraiment utile, parce qu'elle est independante de toute methode.„ Imitatus adeo haecce nomina lingua Gallica cl. BARBEV DV BOVRG ^{b)} multis exemplis, ad Floram Parisiensem pertinentibus, e. g. Pourpier potager, Bruyere barbue, Bruyere cendrée, Persicaire amphibie, Linaire rampante, Plantain elancé.

Quicquid igitur fuerit contumeliarum, quibus haec nomina affecta sunt, eadem illis felicitas contigit, ac ipsi methodo auctoris sexuali, et cuilibet tandem rei bonae, in vniuersalem vsum sensim tracta victoriam reportarunt, silente auctore ad tot conuicia, quo

filen-

^{z)} Histoire des Plantes de la Guiane Françoisse.

^{a)} V. Histoire de la Société de Médecine T. 2. p. 37.

^{b)} Le Botaniste François T. 2.

26
VINDICIAE
NOMINVM TRIVIALIVM
STIRPIBVS A LINNEO EQV. IM-
PERTITORVM

SECTIO POSTERIOR

PRO
ADITV ALIQVOT DOCTISSIMORVM COMMILITONVM
AD DOCTORIS MEDICI HONORES

SIGNIFICANDO

EXARATA

AB

ORDINIS MEDICI DECANO

IO. ANDREA MURRAY D.

EQVITE ORDINIS REGII WASAEI
CONSILIARIO AVLAE R. ET PROFESSORE MEDIC. P. O.

GOTTINGAE

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI DIETERICH.

2. 23 Dec. 1782.

20

ANBICIAE

NOMINUM TRIVIALIUM

STREPTIBVS A LINNEO EQV. IM.

PERTITORVM

SECTIO POSTERIOR

ALIVOT DOCTISSIMORVM COMMISSIONVM

AD DOCTORIS MEDICI HONORES

CONSTITVENDO

EXACTA

AB

ORDINIS MEDICI DECANO

IO. ANDREA MURRAY D.

REGIS ORDINIS REGII MAGISTRI

CONSILIARIO AULAE ET PROFESSORE MEDIC. P. O.

GOTTINGAE

TYPI JOHANNIS CHRISTIANI DIETTERICH

1782



VINDICIAE
NOMINVM TRIVIALIVM STIRPIBVS
A LINNEO EQV. IMPERTITORVM.

SECTIO POSTERIOR.

§. 13. **E**x supra (*Sect. I. §. 5.*) in medium prolatis nominum trivialis exemplis, quorum quaedam simul tanquam specimina eorum, quibus LINNEVS usus fuit, considerari possunt, cognoscitur, non vnus sed plurium momentorum rationem esse habitam, scilicet characterum ipsi plantae inscriptorum, quibus vna species ab altera differt, patriae, foli, stationis, inventorum, coloris, magnitudinis partium inter sese comparatarum vel totius plantae, saporis vel odoris, virium, vsus medici vel oeconomici, proprietatum quarundam, et historicorum variorum momentorum. Non igitur tanquam nomina vaga vel fluxa, pro arbitrio assumpta, trivialis specierum habenda, sed supponunt intimiorem plantae denominandae et

congenerum cognitionem, et, praecipue, si characterem exprimere debeant, ingenium saepe haud leue, vt is coarctetur in vnam vocem, quem pluribus alias enunciare opus esset.

§. 14. Qui antecessorum LINNEI nomina in vniuersum cum eisdem propriis comparet, videbit facile, quantum illi cordi fuerit seruare, quae ab istis iam fuerant excogitata, modo hocce obsequio ipsi scientiae vis non inferretur. Haecce eius in antecessores obseruantia enitet quam maxime in nominibus triuialibus recipiendis. Horum quaedam antecessoribus et LINNEO plane communia sunt, vt exemplis superioribus littera L. notatis constat, in aliis ex differentia specifica vocabulum, quod seruari posse visum est, vel immutatum vel sub exigua modo flexione extraxit, e. c. ex Verbena recta canadensi vrticae foliis MORISONI emerfit nomen Verbenae vrticifoliae LINNEI, — ex Acino thymi folio et facie floribus inexpanfis MORIS., Cunila thymoides L. — ex Hormino aegyptio minimo ramosissimo BOERHAAVII, Salvia aegyptiaca L. — ex Iride latifolia biflora BESLERI, Iris biflora L. — ex Gramine triticeo spica latiori compacta cristata BUXBAUMII, Bromus cristatus L. — ex Pittonia hirsutissima, et ramosissima baccis albis PLUMIERI, Tournefortia hirsutissima L. — ex lasminoide laureolae folio, flore candido interdiu odorato DILLENII, Cestrum diurnum L. — ex Thapsia latifolia villosa C. BAVH. Thapsia villosa L. — ex Trifolio spinoso cretico C. B. Fagonia aetica L. — ex Viscagine hirta noctiflora floribus obsoletis spicatis DILLI, Silene nocturna L. — ex Viscagine hirta gallica, flore etc. DILLI, Silene gallica L. — ex Annona vlginosa foliis nitidis etc. BROWNI, Annona palustris L. — ex Lamio garganico subincano, flore etc. TILLI, Lamium garganicum L. — ex Lamio folio caulem ambiente minori C. B. Lamium amplexicaule L. — ex Nasturtio pratensi magno flore C. B. Cardamine pratensis L. — ex Vinga aurea altissima ferotina, panicula speciosa patula MARTYNI, Solidago altissima L. — ex Populo gemmis balsamum odoratissimum fundentibus CATESPXII, Populus balsamifera L.

Sic

Sic igitur LINNEVS æquissimus omni ætati et nomini suum decus concessit, nec, meritis propriis satis fulgens, opus habuit, vel neglectui vel dirutæ vndique et dilapidatæ famæ aliorum, instar doctoris nouitii ventosi, suam inædificare,

§. 15. Attamen flexilis ille et obsequiosus Præceptoris animus huic vitio locum dedit, quod subinde nomina triuialia reciperet, quæ suum vnice ingenium sequens aptiora potuisset excogitare. Et, quum semel hæcce ipsa iure ciuitatis donasset, ipse alia subinde produxit, quæ commutare in melius illi non arduum valde fuisset. Verum quum in generibus Proteæ, Oldenlandiæ, Crassulæ, Mesembryanthemi, Polygalæ, Hedyfari, Bidentis, multisque aliis Linneanis is nitor eaque elegantia nominum obtineat, vt non solum loco arbitrariæ appellationis sint, sed et characteres, quibus diagnosis stirpium mirifice adiuuetur, et memoriæ subueniatur, includant: tentabo, anne, prout iam dudum de nominibus genericis et differentiis specificis plantarum factum est, et nomina triuialia regulis quibusdam possint circumferibi. Etenim lacunam, quam obtingere iam a. 1751. LINNEVS edisseruit, scilicet "*Triuiale nomen legibus etiamnum carere*" a) nec seniori studio vllus fuit, qui suppluerit. Hæcce mihi conanti non scopus est, reformare centena aliquot nomina, quæ ætas et vsus familiaris iam auctorauit, multo minus deprimere aliorum botanicorum meritum, quorum nomina a regulis mox suppeditandis discrepant. Sed quum, vt ex superiori (*Sect. I. §. 7.*) calculo constat, spes superfit, vt aliquot millenæ stirpes etiamnum detegantur: operæ pretium est determinare, quomodo quam aptissime denominari hæc aduenæ possint. Iuvat et normam proponi, secundum quam diiudicari possit pretium nominum triuialium, plantis hæctenus designatis tributorum. In hoc negotio præuideo, varios canones similes futuros iis, quos LINNEVS in *Philosophia bot.* §. 256-304. de differentia specifica concinnauit, quoniam hæc ipsa a quibusdam vnico tantum verbo significata fuit; hinc breuiati

A 3

flu.

a) *Phil. bot.* §. 257.

studens rationes quasdam regularum subinde ex dicto fonte deducendas relinquam. Apparebit tamen simul, ab hisce in haud paucis discrepare meum iudicium, et complures alios me interferuisse canones, et argumentis eorum, qui vtrique nostrum communes sunt, nouum ex propriis obseruationibus fulcrum subdidisse.

Regulae vero sunt sequentes:

1) *Nomen triuiale definitionem speciei siue differentiam specificam superfluum non reddit; hinc addenda haecce, quotiescunque opus sit exactius stirpem determinare.* Haec necessitas occurrit in systematica enumeratione stirpium, vel in amplioribus designationibus exoticarum siue indigenarum, in quibus comparatione characterum carere non possumus; item in libris, qui de usu medico vel oeconomico plantarum agunt, ne lapsu memoriae vel festinatione scriptionis confusio fiat specierum.

2) *Quodlibet nomen triuiale ex vno vocabulo constet.* Requirit id praecipue scriptionis et dictionis compendium. Displicent igitur: Chenopodium Bonus Henricus, Nyctanthes arbor tristis, Veronica Anagallis aquatica, Conuoluulus Pes caprae, Ipomaea Pes tigridis, Lyfimachia Linum stellatum, Pedicularis Sceptrum carolinianum, Inula Oculus Christi. Commoda contra nomina ex duobus contracta: Clematis Vitalba, Solidago Virgaurea, Aconitum Anthora.

3) *Nomen genericum triuiale praeterito, nec ab hoc seiungitur.* Nam idea generis prius exurgat, sequatur idea speciei. Hinc et eadem nomina triuialia in diuersis generibus ferri omnino possunt.

4) *Imponatur quoque nomen triuiali speciei in genere unice.* Vtinam LINNEVS in eiusmodi casu vbius praeter characterem, a flore vel fructu petum, alium etiamsi succenturiatum ex reliquis partibus, vel synonymon commodum, in *Systemate* vel *Speciebus plant.* admisisset, quod ipsum deficientibus praecipue fructificationis partibus

in signis saepe vsus fuisset. Egregie hoc quidem praestitum in Aegiphila martinicensi (*Syst. Ed. 13.*), Sirio myrtifolio, Bulbocodio verno, Rheedea lateriflora, Muntingia Calabura, Baltimora erecta. Si nomen triuiale characterem respicit, commodum ex hoc additamento idem redundat.

5) *Optimum nomen triuiale est, quod notas discriminis a speciebus congeneribus includit, siue characteristicum est.* Numero, figura, situ, proportione, hoc nititur. Ita nomen in ipsa stirpe legi quasi potest, et in plantis adeo nunquam antea visis adminiculum exstat. Rarius quidem integer siue sufficiens character vno nomine comprehendi potest, vt quidem in speciebus Phytolaccae: sed iam multum refert, partem characteris hocce expressisse. Nam hoc quoque notitiam stirpis egregie leuat, et memoriae subuenit eximie. Tanto minus integrum et adaequatum characterem vbiuis ex vnico vocabulo expectare poteris, quum subinde ne differentiae quidem specificae fusius expressae speciebus discernendis sufficiant, sed scrupulum relinquunt, donec prolixior descriptionem simul in auxilium transferas. Hoc vero subinde obtingit incommodum in epithetis characteristicis, vt supra iam monui, quod nouis speciebus accedentibus manca euadant. Tanto magis in selectu nominum prouidendum, id ne fiat. Quod si vero factum, meminisse iuuat, posse seruari instar simplicis nominis (Cfr. *Sect. I. §. 8.*), nec spernenda ob vsu, quem nobis aliisque per longum tempus praeterlapsu attulere. Nec ego vel tum auctor essem, vt in melius nisi summa incideret necessitas, mutarentur.

6) *Praestat ex horum censu nomen triuiale, quod et partem indicat, quae characterem efficit.* Hinc laudanda Rhamnus pentaphyllus, Campanula heterophylla, Chrysofplenium alternifolium, Lyfimachia thyriflora, Lythrum petiolatum, Actaea racemosa, Papauer nudicaule, Sida umbellata, Psoralea bracteolata, Celosia trigyna, Tabernaemontana cymosa, Peplis tetrandra, Panicum distachyon, Phyt-

teuma comosa, Chironia baccifera, Dianthus proliifer, Lycium capfulare, Dolichos biflorus, Tillaea apetala.

7) *Minoris pretii sunt nomina triuialia characteristica, quae partem, quam respiciunt, reticent.* Terminus artis, qui nomen horum intrat, saepe vnus idemque diuersis partibus tribuitur, floribus, foliis, caulibus aliisque. Vnde nisi partis simul fiat mentio, incertus sumus, quam praecise character feriat. E. c. Stipa spinifex, Androsace elongata, Conuallaria verticillata (de foliis), Angelica verticillata (de pedunculis), Amaryllis undulata item Ferraria undulata (de petalis), Asclepias undulata (de foliis), Swertia corniculata (de corolla), Oxalis corniculata (de fructu), Dianthus deltoides (de petalis), Alyssum deltoideum (de foliis), Moluccella spinosa (de calyce), Prunus spinosa (de ramis), Dolichos sesquipedalis.

8) *Minoris et facienda nomina, quae petuntur a partibus abditis, vel non perpetuis.* Radicum igitur mentio nonnisi necessitatis casu fiat, quae plerumque in herbariis desunt, nec in recenti planta, nisi iactura ipsius stirpis, indagari possunt, et saepe, vt in tuberosis, ob situm profundiore nonnisi operosius euelluntur. Ideo non satis commoda: Phlomis tuberosa, Erigeron tuberosum, Ophrys monorchis, Glycine subterranea, Arachis Hypogaea. Facilius probandum nomen Rhizophora gymnorhiza, quod radix terrae superiacet. — Nec lignum commode ob causas dictis similes memoratur, e. c. Lonicera xylosteum, Bignonia leucoxydon. — Perpetua non est bulbiferum in caule vel flore praesentia; vnde displicet nomen Liliium bulbiferum. — Nec maculae foliorum semper praesto sunt; minus igitur commode Arum maculatum dicitur.

9) *Praestantissimum characterem herba subministrat, nominatim folia; et inflorescentia; item flos ipse.* Rem hanc frequentes obseruationes confirmant, quas legere est in LINNEI *Phil. bot.* §. 278 - 280. Herba ideo quidem praerogatiuam meretur, quoniam per longissimum tem-

tempus adest. Fructus characterem speciei saepenumero praebet egregium, sed expectationem longiorem desiderat, et fructus stirpium calidiorum regionum saepe apud nos non maturefcit. Flos igitur fructui pro denominatione est praefendus. Eatenus exempla concinnorum nominum sunt: Anabasis aphylla, Staphylea trifolia, Alisma cordifolia, Premna ferratifolia, Telephium oppositifolium, Zygophyllum sessilifolium, Crassula perfoliata, Cr. nudicaulis, Cr. dichotoma, Ranunculus amplexicaulis, Arenaria trineruia, Conuoluulus reptans, Solanum radicans, Verbena supina, Anthericum ramosum, Agrostis stolonifera, Phyllica stipularis. — Scandix nodiflora, Selago corymbosa, Andromeda racemosa, Sida umbellata, Pforalea bracteata, Hieracium cymosum. — Valeriana dioica, Phytolacca octandra, Ph. decandra, Statice monopetala, Celosia trigyna.

10) *Nomina triuialia sunt vel Graeca vel Latina.* Graeca sunt ferenda, siquidem breuitatem commodam admittunt, et ex lingua eruditum decente perita. Repudianda vero sunt nimis longa, et affectationem redolentia, ut ista BELLEVILLI, quae recenset LINNEVS in *Phil. bot. p. 230. e. g.* Glycyrrhiza macrorrhizopolyschides, Trachelium oreognopycnophyllum, et neotericorum quorundam nomina, quae lexi operosae perquisitioni potius quam ingenio originem suam debent. Quanto elegantiora: Hordeum hexastichon, Riuiua octandra, Phyteuma hemisphaerica, Vitis heptaphylla, Scandix trichosperma, Scleranthus polycarpus, Semperuium arachnoideum, Euphorbia dendroides. — Latina modo, ob Graeci idiomatis decrefcens studium, praefenda. Hinc et loco heterophylla subinde dicta stirps diuersifolia; loco polyanthemos, multiflora, loco tetraphylla, quadrifolia.

11) *Simile, unde deriuentur haecce nomina, sit notissimum, ut cor* (prout depingi solet), ferra, lanceola, digitus, vesica, papilio, sphaera, filum, cuneus.

12) *Non debet idea, quam nomen triuiale inuoluit, aduersari ideae generis; vt Chrysanthemum Leucanthemum, Sagittaria lancifolia, Parnassia palustris. Quis quaeret musas in ranarum domicilio; in pascuis praeterea fatis elatis aliquando Parnassiam reperio.*

§. 13. *Sunt tamen quoque nomina quaedam admittenda, quae quidem characterem non respiciunt ideoque in prima indagine suppetias non ferunt, sed recordationem stirpis leuant.*

Huius generis est nomen inuentoris, generi additum, vel eius, qui ad propalendam stirpem aliquid contulit. Incitamento haud mediocri inferuit artis cultoribus, si eiusmodi honoris significatione memoria eorum seruat. Et tanto attentior fit tyro ad stirpem, si nomen ad viri cuiusdam bene de arte meriti notitiam ducit. Laudanda igitur Cactus Peireskia, Plantago Löflingii, Hieracium Kalmianum, Hyoscyamus Scopolia, Althaea Ludwigii, Malua Scherardiana.

14) *Nomen pharmaceuticum vt triuiale locum habet. Ita amicum inter Botanicen puram et medicinam connubium alitur, nec tyro cui, si Aesculapii castra sequitur, officinales plantae praecipue cordi sunt, opus habet, loco duorum nominum tria memoriae infigere. Huius igitur loci: Oxalis Acetosella, Papauer Rhoëas, Cochlearia Armoracia, Teucrium Marum et centena alia exempla.*

15) *Nomen spurii generis, si diu in usu fuerit, vt triuiale seruari potest. Sic gratificamur iis, qui hisce nominibus affueuerint, saluis tamen legibus systematis, quas ipsi sequimur. E. c. Dodecatheon Meadea, Dracocephalum Ruyschiana, Salvia Sclarea, Salv. Horminum, Paederota Bonarota, Verbascum Blattaria, Duranta Ellisia, Robinia Pleudo-acacia, Lonicera Dieruilla, Euphrasia odontites, Atriplex Halimus.*

16) *Caue, ne prae obseruantia nimia in antecessores ex eorum differentia specifica nomen triuiale minus commodum emergat. In PLVCKE-*

NETI, PETIVERII, BARRELIERI, RUMPHII, RHEEDII aliisque latioris ambitus libris plantae variae memorantur, quae nonnisi recentiori indagine, qua suppleantur partes ab hisce omissae, sufficienter cognosci possunt. Praestat hocce casu nomina horum modo instar synonymorum citare, quam vitia incurrere, quae hac scriptione vituperantur, nec, nisi liberum arbitrium in denominando sit, vitari possunt.

17) Quanto digniora sunt nomina, notas in ipsa stirpe obuias includentia: tanto minus imitanda ea, quae conditiones modo extra stirpem positas, sed cum eadem quodammodo nexas, spectant.

Agrius igitur probanda nomina a patria stirpis petita. Nam stirpi patria nulla certa nota inscripta est, multis regionibus stirpes communes sunt, et itineratorum quoque studio deteguntur saepe stirpes, ubi antea non visae, et transmigratioe improvisa in aliena saepe loca transferuntur. Nomina haecce insuper errores in cultura cient. Vulgares iam sunt stirpes, in Germania Erigeron canadense, in Anglia et Noruegia Tamarix germanica, in Gallia Mespilus germanica, in Finnia Astragalus vralensis, in Zeylona Acalypha virginiana, hinc inde in Germania Iris sibirica.

18) *Nec soli nec stationis mentio nomen triuiale ingrediatur.* In solo et statione saepe diuersissimis satis commode degunt plantae, nec nisi rarius detegi haec possunt inspecta planta. Colligitur hinc, quid sentiendum de nominibus, ab arena, vligine, montibus, pratis, campis, agris, alpibus, muris, rupibus, littore, umbra rel. petitis.

19) *Tempus florendi excludatur merito a nomine triuiali.* Hoc quidem, vt alia quaedam momenta, color, odor, statio, magnitudo, subinde in recentibus plantis aliquam lucem accendit, sed in siccis florendi tempus plane nullam. Hyacinthus ferotinus, Helleborus hiemalis, Adonis vernalis, Leucoium aestiuum, Bignonia aequinoctialis, exempla sunt. Tanto maior labes cadit in nomina mensium, vtpote quum flos mox maturius mox ferius pro varietate tempestatis

emergat, quorum tamen valde pauca in Systemate adhuc supersunt, e. g. Conuallaria maialis.

20) *Coloris mentio in nomine censura digna est.* Valet hoc praecipue de colore florum, qui in vna eademque specie, quin in vno eodemque indiuiduo saepe variat, e. c. in Lantana aculeata. Et in alpinis et locis aliis elatis flores coerulei saepe in albos mutantur. Desunt insuper verba ad omnes colorum gradus determinandos. Non satis aptum igitur nomen Polemonium coeruleum (saepe album), Sophora alba, (saepe coerulea), Ipomaea violacea, (saepe alba, purpurea, rubra), Anthemis mixta, Lantana mista. — In herba color plerumque constantior, exemplo Basellae rubrae, albae, Chenopodii glauci, Amethysteae coeruleae, Iusticiae pictae, Chenopodii purpurascens 1 A C Q., Rumicis sanguinei, Eupatorii maculati.

21) *Odor et sapor in epitheto excludendi,* ob inconstantiam, varians de hisce sensibus iudicium, defectum vocum, quibus omnes diuersitates insigniuntur, et sedem in stirpe multiplicem, quae breui vocabulo exprimi non potest. Attamen in usum transierunt Anthoxanthum odoratum, Chenopodium ambrosioides, Iris foetidissima, Eupatorium aromaticum, Scoparia dulcis, Polygala amara.

22) *Abstinendum a nominibus in patria stirpis obuiis.* Dissona haec a reliquis vsitatis nihil ad cognitionem stirpis praesentis faciunt, et plerumque, si barbaris gentibus propria, utpote auditione vnice percepta, ne recte quidem scribuntur. Taxandus igitur AD ANSONIVS, quod barbaris eiusmodi nominibus praestantiam tribuerit. Multa quidem huius generis adhuc seruantur: Heliconia Bihai, Cerbera Ahovai, Mimufops Kanki, Daphne Torton-raira, Paullinia Curaru.

23) *Quodquod nomen comparatione cum aliis stirpibus nititur, minus probandum.* Supponendum enim merito, vniam stirpem aequae ignotam esse tyroni ac alteram. Desinentia igitur in *oides, astrum, ella,*
simi-

similiaque plura non imitanda; nec nomina, solanifolia, hepaticae folia, verbascifolia, hermannifolia, saluifolia, atriplicifolia, probanda sunt, tanto minus, quum subinde haec nomina non speciem comparatam in fronte gerunt, sed integrum genus, sub quo species figura foliorum saepe dissimillimae militant. — Alia comparatio mensuras spectat, quae, nisi subsistat in collatione partium speciei denominandae, sed si respectum habeat aliarum specierum, merito caret. Pretio inferiora igitur nomina, Plantago maior, Heracleum angustifolium, Sefeli elatum, Melica altissima, Dracocephalum grandiflorum, Rubus parvifolius.

24) *Nomina triuialia, depromta a duratione stirpis, non satis apta.* Non semper enim haec ipsa in planta apparet, et climatis siue culturae diuersitate aetas saepe prolongari potest. In siccis plantis arbores et frutices a reliquis plerumque tanto difficilius distinguuntur, quum ex hisce raro non nisi ramulus succosus seruari possit, qui igitur obseruatori saepe imponit, vt credat cum herbacea planta rem esse. Subinde quoque serius accedit vna vel altera noua species durationis eiusdem, ac ista, quam vni speciei propriam antea existimauimus. Iudicium igitur ferri potest de nominibus triuialibus: (Stirps) annua, biennis, perennis, fruticosa, arborea. Multo minus decet durationem adscribere stirpi, quae illi non competit, e. g. Lunaria annua, quae biennis est, aequae ac Lunaria rediuua. L. — Helianthus indicus aequae ac H. annuus L., Aster chinensis et A. tenellus aequae ac A. annuus L. per annum modo durant; pro istis igitur vltimo loco dictis aptiora nomina fuissent excogitanda.

25) *Non placent mihi nomina vsus oeconomicum respicientia, e. c.* Dipfacus fullonum, Vitis vinifera, Fragaria vesca, Hibiscus esculentus, Sorbus aucuparia, Vicia satiuua, Galega tinctoria. Aspecta enim planta de eo nihil constat, et applicatio eius pro hoc fine disci ex alio fonte debet, multae insuper plantae oeconomicae designantur absque vlla vsus in vita communi mentione in nomine. Vnde ex collectis tantum nominibus triuialibus nullus completus index oeconomicarum formari potest.

26) *Similiter non probae notae sunt nomina a viribus vel usu medico petita*, ob easdem, quas nuperrime dixi rationes; quibus addi potest stirpem non vnam saepe sed plures virtutes praestare, et variare saepe virtutem pro discrimine partium stirpis. Exempla vituperii sunt Nerium antidysentericum, Inula dysenterica, Chenopodium anthelminticum, Chaerophyllum temulum, Anthericum ossifragum, Ranunculus abortiuus. Paucissima exempla huius generis in Systemate Linneano occurrunt.

27) *Non admittenda vocabula, quae conuenientiam soni vel idearum habent.* Nam specierum hisce facilis confusio nascitur; e. c. Silene conoidea et conica, Silene nocturna et noctiflora, Corchorus hirsutus et hirtus, Fumaria capreolata et clauiculata, siquidem vetustioribus botanicis capreolus et clauicula idem, scilicet cirrhus recentiorum, Conuoluulus pentaphyllus et quinquefolius.

28) *Quale pretium nominibus, discidia vel satyram redolentibus vel historicum aliquod stirpis momentum respicientibus statuendum, ex dictis hinc inde argumentis sponte patet.* Quorum quidem exempla facile colliguntur ex generibus quibusdam in cultorum artis memoriam denominatis.

§. 16. Et hae quidem praecipuae regulae sunt, quae in denominandis speciebus botanicum dirigere poterunt. Non diffiteor, facilius leges dari, quam observari. Et qui tentauerit ipse stirpi aptum nomen triuiale imponere, satis comperit, non leue negotium esse, praecipue si characterem eo exprimi cupiat, et eum quidem nouis forsitan accedentibus speciebus immutabilem, nec *vocabulo libero vndequaue desumpto uti b)* velit. Quam libertatem LINNEVS quidem, dum primus ad haecce nomina animum aduerteret, concessit, a qua tamen in praxi subsequa alienior fuisse videtur. Ne quis vero mihi obiiciat, defectuum exempla recensendo, vituperasse me eum, cuius vindicias agere proposueram: iteranda admonitio est, LIN-

NEVM

b) *Phil. bot. p. 22.*

NEVM saepissime in hisce vnice sequutum alios, pertaesum forsitan clamorum super inuouatione nominum excitatorum.

Haecce praemisisse iuuat publicae honorum medicorum in tres doctissimos Candidatos iam collatorum significationi et inuitationi ad panegyrim, quae quarto, pariter dignissimo, in diem 24. Decembris destinata est. Laus singulorum communis ea est, quod stadium medicum non solum summa animi contentione et alacritate decurrerint, sed et quum vires eorum ab ordine nostro explorarentur, eam doctrinae copiam declarauerint, qua ambientibus doctoris dignitatem et iura carere non licet. Voti igitur eodem die, quo quisque specimen suum inaugurale propugnauit, vno excepto, compotes facti sunt. Sed et fas est, vel hocce laborum et scientiae praemio fruatur, vt qualem vitam hucusque gesserint laudabilem, per partes propriis verbis exponere iis contingat. Quae quidem vt benefactorum multitudine in dies magis inclarescat, nec praemiis vnquam meritis desituatur, ardentem voueo.

I.

IACOBVS GVILIELMVS CARELSON.

Quum ego iam primo aetatis anno nimis praematura morte parentibus meis orbatus, solum natale peregrinator quasi transmigrauerim: nihil, nisi quod relatum accepi, referre possim. Fuit enim, vt audiui, pater meus, IACOBVS CARELSON, Praefectus commercii, quod Belgae, Gamronae, et inde per totum Persiae imperium, gesserunt. Mater mea ipsis partus laboribus succubuit, et pater meus eodem anno, proh dolor! viuere desinens me paruulum antea in tutelam nunc etiam defuncti IOANNIS GVILIELMI NIEPER, M. D. tradidit, qui Persiae Bechlerchanum curandi causa illuc se contulerat. Is rediturus in Zeylonam insulam, vbi erat Iustitiae a Consiliis et Medicus primarius nosocomii Belgici urbis Ianae, me secum duxit, ibique mihi baptismatis sacramento

mento impertiri curauit. Anno 1756. tutor meus redux in patriam, me
 primum Amstelodamum, et postea Verdam, (in Ducatu Verdensi) ubi
 frater eius habitabat, deduxit. Ibidem in doctrinis religionis christianae
 a Luthero reformatis, et quodammodo etiam in litteris humanioribus in
 schola cathedrali Verdensi prima fundamenta posui. Multum me beato
 KOLLE Magistro et Rectori huius Lycei, debere grato animo fateor,
 quippe cuius institutionibus priuatis maxime usus sum. Postquam per
 aetatem mei iuris factus essem, mihi iamdudum exoptata felicitas contigit,
 Goettingae artis medicae praecepta hauriendi. Die vero calenda-
 rum mensis Iunii, a. 1778. a Magnifico KVLENKAMP, p. t.
 Prorectore, inter eius academicos Georgiae Augustae receptus
 sum. Alacris iam scholas medicas, mixtim cum aliis salutavi, scilicet
 ex ore Ill. BALDINGERI, nunc Aulae Cassellanae Consiliaris
 et Archiatri quum Pathologiam, Materiam Medicam, Semioticam,
 Therapiam tam generalem, quam specialem, Artem formulas scribendi, et
 Historiam litterariam traderet, pependi, eiusque Collegio clinico interfui.
 Ill. Eques et Consiliarius aul. Reg. MURRAY solidissima Botanices praecepta,
 et doctrinam de venenis et vermibus, nec non de medicamentorum vi-
 ribus, mihi tradidit; illumque et in excursionibus botanicis comitatus sum.
 Sub ill. WRISBERGII auspiciis cadauera secui, eiusque demonstra-
 tionibus anatomicis et praelectionibus physiologicis, Medicinae legalis, et
 Artis obstetriciae interfui, et in gynaeochio parturientibus auxilium prae-
 stiti. Ill. Consiliarium aul. et Archiatrum RICHTER regulas
 diaeteticas, et dogmata Chirurgiae manualis et medicae, Therapiae spe-
 cialis, morborum oculorum, ossium et dentium, vulnerum capitis, et
 Lithotomiae recitantem audiui. Cel. GMELIN me Chemiam theoreticam
 et experimentalem, nec non Mineralogiam et Pharmaciarn docuit.
 Cel. BLUMENBACHIO in Historia naturali, Osteologia, Patho-
 logia, Anatomia comparatiua, inque praelectionibus praecipuorum li-
 brorum medici argumenti, et in Anthropologia; nec non cel. STROH-
 MEYERO in praelectionibus Materiae medicae selectae adfui. — Prae-
 terea ill. KAESTNERI praelectiones in mathefin puram; ill. SCHLÖ-
 ZERI in Historiam vniuersalem, Historiam Europaeam, et Statisticam;

cel.

cel. BECKMANNI in *Physicam*; beati WEBERI, Ienensis postea Professor. Theolog., in *Logicam et Metaphysicam* frequentavi. Tandem Cl. GLANDORF, nunc Rector Athenaei Onoldini in lingua Anglica me erudiuit.

Postquam cursorie de *Hydrocephalo* egisset, die 22. Octobris h. a. Dissertationem suam, *Symptomatologiam et Aetiologiam febris lentae nervosae* sistentem, defendit.

II.

IOANNES CONRADVS GRVELMANN.

Natus sum d. 10. Augusti a. 1754. Baruerae, quae est vicus comitatus Diepholtiensis, ad Electoratum Brunsvico - Luneburgensem pertinentis, patre IOANNE CONRADO GRVELMANN, sacrorum ibi antistite, matre ex gente Wahrendorfia. Huius adhuc vitam Deus servavit; pater vero anno 1761. praematura morte occubuit. A tenera adhuc aetate fautor mihi fuit NIEMEYERVS, praefectus Regius, cui ingenuae educationis felicitatem debeo. Dein isto loco relicto me anno aetatis duodecimo Vir, omni qua decet pietate venerandus, SCHVSTERVS, Regis primarius praefectus, adoptatum quasi, liberorum suorum praeceptoris institutioni tradidit, ut religionis ac litterarum principis mens informaretur; qua quidem fortuna ad annum usque 69. perfruitus scholam Neoburgensem adii. Anno 72. occasione ita ferente, Bremam me contuli, et sub cel. ASBRANDII, medicinae Doctoris, auspiciis, prima artis medicae praecepta per quadriennium haurire contigit. Tum Argentoratum petii anno 1777. ab ill. MULLERO Academiae tunc Prorectore in civium academiae numerum inscriptus. Ibi ill. SPIELMANNI praelectionibus interfui, botanicam, chemiam, materiam medicam et doctrinam de formulis conscribendis spectantibus. B. PFEFFINGER osteologiam me docuit. Ill. LOBSTEINIUM in anatomia, physiologia, chirurgia theoretica, nec non in secandis cadaveribus et chirurgicis operationibus instituendis sequutum me esse, nunquam me poenitebit. Cel. EHRMANNO
C duc

duce, medicinae clinicae in nosocomio civium operam navavi, praelectionibus
 eius therapeuticis antea auditis. Adii quoque physicas praelectiones fratris
 illius cel. FR. LVD. EHRMANNI. Cel. HERRMANNI praelectiones in
 logitam et metaphysicam nec non in naturalem historiam in usum verti. Sub cl.
 ROEDERERI auspiciis obstetriciam artem didici, idque et praelectioni-
 bus eius theoreticis, et administratione parturientium adiutus, cui accessit
 opera, quam parturientibus duce cel. IACQVERETIO Iuli.
 Medicinae practicae institutiones cel. SPIELMANNVS, nosocomii Regii
 medicus, mihi tradidit, quem postea sequutus sum in nosocomio gallico. DIO-
 BOLDII pathologiae generalis, nec non DIOBOLDII alius, utriusque expe-
 rientissimi Medicinae Doctoris, therapiae specialis praelectionibus atque
 exercitationibus examinatorio-disputatoriis interfui. In addiscenda fascia-
 rum chirurgicarum applicatione LOBSTEINI, Chirurgi experientissimi,
 institutione usus sum. Anno 1779. cohortis, cui serenissimus Princeps
 FRIDERICVS praest, militum aegrotantium curam gessi. Quum
 vero, magna academiae Georgiae Augustae fama iuuitatus, praelectioni-
 bus summorum in medicina Virorum proficere gestirem, huc me contuli.
 Ill. Eques MURRAY, quem digna laude vix depraedicare possum, clavum
 reipublicae academiae tunc tenens, in Studiosum censum me retulit. Huius
 ill. viri plantarum horti Regii demonstrationibus, et de viribus medicamen-
 torum praelectionibus interfuisse, atque botanicarum illius excursionum
 comitem me fuisse, laetissima semper mente recordabor. Nec unquam
 poenitebit, audivisse ill. BALDINGERVM, cuius in me benevo-
 lentiam gratissimo semper animo prosequendam habeo, semioticam atque
 therapiam docentem, praxinque clinicam sub illius felicissimis auspiciis exer-
 cuisse. Neque ex ill. WRISBERGII, cuius nomen ubique et semper vene-
 rabor, cadaverum demonstrationibus ac praelectionibus medicinae foren-
 sis, physiologiae uniuersae atque singularium eiusdem partium publice tra-
 ditarum insignem fructum me percepisse, dissimulare possum. Magni de-
 nique mihi vsui fuit, adire practicas scholas ill. RICHTERI, quum the-
 rapiae specialis, chirurgiae, diacteticae atque de oculorum morbis praelectio-
 nes institueret, pro quibus omnibus gratissimum animum testificor. Prae-
 ter haec in chemiae elementis GMELINVM, in historia naturali

BLUMENBACHIVM, utrumque celeberrimum virum, in logica et metaphysica ill. FEDERVM et in terminologia botanica cl. WEIS-
SIVM M. D. praeceptores habui.

Lectione cursoria imaginem genuini medici practici adumbravit, qua finita die 23. Octobris dubia contra *Observationes suas de usu Cicutae, Camphorae, Sulphuris aurati antimonii et corticis peruiani in quibusdam morbis mota, discussit.*

III.

SALOMON SELIGMAN.

Halae Magdeburgicae in hanc lucem translatus sum a. 1758. m. Martii.

Patrem habui DAVIDEM SELIGMAN, Hebraeum mercatorem, quem praematura mors nimis cito proh dolor! mihi eripuit. Matrem MAGDALENAM, e stirpe GUMPRECHT, solam superstitem, ad hunc diem veneror, quae in eo omnem curam contulit, ut ab ineunte aetate in praeceptis et disciplinis meae religionis erudirer, neque minus operam gessit, ut prima nonnullarum linguarum principia, scilicet linguae Latinae, Germanicae, Anglicae, edisterem, eundemque in finem privatis usus sum magistris. Quum institutione ad altiora me praeparatum aestimans, rei medicae studio me consecraui, et in academia patria, Prorectore cel. PAULI, legibus academicis me adstrinxi. Ibidem praelectionibus interfui logicis et metaphysicis doctissimi MEYERI, geometricis et algebraicis acutissimi SEGNERI, physicis cel. EBERHARDI, osteologicis ill. BOEHMERI, et in encyclopaedia medica cel. KEMME studiose frequentavi. Fama porro permotus Georgiae Augustae a. 1779. Goettingam profectus sum et a summe venerabili KVLENKAMP, tum Prorectore magnifico, civibus academicis adscriptus medicas maxime scholas frequentavi. Ill. BALDINGERI praelectiones in anthropologiam, materiam medicam, pathologiam, therapiam generalem atque specialem, neque minus in regulas conscribendi formulas medicas summo meo emolumento percepi. Ill. Equi-

tem MURRAY, botanicam, materiam medicam, infantum morbor, doctrinamque venenorum mascule, ut solet, explicantem studiose audiui. Anatomiam, physiologiam, artem obstetricam, ill. WRISBERG me docuit, vir nunquam satis laudabilis. Atque insignem cepi fructum ex doctissimis praelectionibus ill. Archiatri RICHTER in diaeteticam, therapiam, tam acutorum quam chronicorum morborum, in chirurgiam medicam et manuaalem, et doctrinam de morbis ossium; cuius et sub auspiciis in nosocomio academico aegros quotidie visere mihi contigit. Cel. BLUMENBACHIVM historiam naturalem et pathologiam illustrantem auscultavi. Chemiam me docuit cl. MULLER, nunc Gießae Professor.

Disputavit die 29. Octobris super Specimine de haemorrhoidibus albis in uniuersum. Cognatione vero argumentorum ita ferente prius laudes haemorrhoidum nimias breuiter perstrinxit.

IV.

AVGVSTVS FRIDERICVS CHRISTOPHORVS
EVERS.

Natus sum Suerini in Ducatu megapolitano anno MDCCLIX. d. IX. Februarii, Patrem veneror AVGVSTVM HENRICVM EVERS, medicinae Doctorem et serenissimi Ducis megapolitani a consiliis aulae: matrem vero MARIAM CATHARINAM ex stirpe LIER. Optimi hi parentes, quos adhuc viuentes laetor, ut pietati pariter ac literis adsuescerem, domesticis me crediderunt praeceptoribus. Deinde cum adolescerem magis, Lyceum, quod in patria urbe floret frequentavi, et sub auspiciis praeceptorum animi candore et doctrina conspicuorum, praecipue Cl. CLEMANNI Rectoris et Cl. CHRYSANDRI Conrectoris, prima scientiarum fundamenta ieci. Hisce principiis instructus anno MDCCLXXIX. d. XVI. April. aliam patriam salutavi academiam Biltzowiensem et ab Ill. MAVRITIO tunc fasces academicas tenente inter ciues receptus sum. Doctissimis ibi in quasdam

dam philosophiæ partes prælectionibus cel. WITTEI. N. et G. Prof. et Consiliiarii, et cel. HECKER Prof. Math. non sine utilitate interfui. Aliis præterea scientiis et disciplinis omnem, quæ iuuenem decet, operam animique alacritatem nauavi. Sed cum a primis annis artis medicæ dulcedo me ceperit, ipsi nomen dare apud me constitui, et eiusdem anni die V. Octobris Berolinum adii, ubi cel. FRIZE Therap. Prof. et t. t. Decanus numero musis addictorum me adscripsit. Inter præceptores, quibus ibi frui contigit, iam nominandus est ill. GLEDITSCH, a cuius ego ore semper fere pependi in botanices et materiae medicæ præceptis, et excursionibus. Ipsius botanicis amoenissimis multaque cura habitis raro defui. Sectatus porro sum ill. WALTERVM, cuius grata semper mihi permanebit memoria. Eius enim prælectiones in physiologiam, artem obstetriciam, angiologiam, osteologiam multo cum fructu audiui. Nec uberrima mihi defuit occasio, tum cadauerum sectione, tum auditione, in anatome eo duce proficiendi. Nec singularem eius hic omittere possum benevolentiam, quam mihi et aliis perpaucis præbuit prælectiones priuatissimas instituendo de oculi et intestinorum fabrica subtiliori. Cel. VOITVM Chir. Prof. chirurgicas operationes docentem nec non operationes in cadaueribus et viuis instituentem adii et audiui. Ill. ACHARD chemiam mihi tradidit experimentalem. His iunxi cel. GÖNNER M. D. et practicum felicissimum: ex cuius prælectionibus in chirurgiam medicam et pathologiam general. multum profeci. Varia mihi præterea Berolini occurrerunt emolumenta; quæ ad scopum faciunt. Sic varias prælectiones publicas a cel. viris in theatro regio institutas vti et nosocomium a charitate nomen sortitum sæpius haud frustra frequentavi. Elapso sic anno Berolinum cum academia Georgia Augusta, musarum hac fede inclyta, commutavi, et ab Ill. MEISTERO anno MDCCLXXX. d. XII. Octobris in numerum civium sum relatus. Non parum utilitatis hic ex ill. BALDINGERI nunc Consiliiarii et Archiatri Hassiaci prælectionibus in historiam medicæ literariam, therapiam generalem et artem formulas concinnandi, in me redundavit. Ill. MURRAY,


Equitem, praeceptorem a me summe venerandum et diu ante desideratum in materiam medicam, botanicam, pharmaciam, vermium corporis humani ac venenorum praecepta dicentem, sequutus sum, eiusque excursionibus botanicis saepius me interfuisse, iure quodam mihi gratulor. Magnum notitiarum incrementum acquisiui ex Ill. WRISBERG institutionibus, praeceptoris ad cineres usque omni pietatis cultu prosequendi. Docuit me physiologiam, medicinam forensam et artem cadauera cultro subtiliori dissectandi et ex eius demonstrationibus anatomicis egregie sum instructus. Sub eius auspiciis in gynaeochio parturientibus adesse didici et non raro quid valeant naturae vires, vidi, quid artis, ipse tentavi. Inter priuatos denique parietes anatomiam capituli subtiliorem et methodum obstetricis instituendi solidam ex ore eius audire mihi contigit. Haud sine laetitiae sensu percenseo commoda, quae ill. RICHTERI lectionibus solidissimis in therapiam specialem, morbos oculorum, chirurgiam manualement, morbos ossium et praecepta diaetetica debeo. In nosocomio quoque eo duce lectulos aegrotorum frequentavi et solidam medendi methodum, uti ex variis ab Eo institutis operationibus chirurgicis insignia emolumenta percepi. Cel. STROMEYER pathologicam mihi tradidit specialem. Cel. BECKMANN autem me docuit physicam experimentalem.

Haec ille. Reliquum vero est, ut spem de ingenio et studiis pereximii Candidati haecenus a nobis conceptam et sustentatam, ille ulterius publico conflictu cras confirmet, cui, post praelectam commentationunculam de *Abortu*, die significato ansam dabit Dissertatio de *contagio phthisico*. Quod certamen ne splendidi grauesque testes deficient, Vos, Serenissime Princeps, Magnifice Academiae Prorektor, illustrissimi Comites, Professores grauissimi, Hospites litteratissimi, Commilitones generosissimi
et

et praenobilissimi rogatos obseruantissime et humanissime cupio, vt eidem, cui sollempnem inaugurationem doctissimi viri mox subiungam, benignam et honorificam praesentiam Vestram commodare haud grauemini.

Scr. in Georgia Augusta sub sigillo ordinis medici d. 23. Decembris a. 1782.

(L.S.)



© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2010